



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Scholia In Primarias Preces Imperatoris

Chokier, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1674

XLI. Preces an capiant beneficia litigiosa

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62387](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62387)

est Preces non capere beneficia ad Sedem Apostolicam devoluta, ut hic habetur; secus ergo si sint devoluta ad immediatè superiorem: quando enim collatio spectat ad inferiores, tunc devolutio fit ad immediatè superiorem, qui superior non solum beneficium ad se devolutum conferre potest, sed etiam in possessionem inducere, *text. in cap. ex parte Hastensis, ubi Abb. de Concess. Prab.* Finge ergo Abbatem, Præpositum, vel alium alicujus diocesis in Germania Prælatum, ex privilegio, consuetudine, vel aliter jus conferendi beneficia habentem, occurrente illorum vacatione, ea intra sex menses non conferre, aut conferendo peccasse in materia vel forma, ad eò quod juris ministerio devolutio facta sit ad Episcopum (ad quem nimirum devolvuntur beneficia, quando collatio spectat ad inferiores, nisi tamen consuetudo vel privilegium sint in contrarium, ut in Exemptis, *Clem. una, ibi Card. de supplend. neglig. Pralat. Cl.* si de beneficio, de prebend.) an ejusmodi beneficia sic devoluta Precibus erunt affecta? Ita videtur; cum exceptio firmet Regulam in casibus non exceptis, *L. nam quod liquidè, § si. de Penul. Leg. Cagnol. ad Reg. 1 n. 31 & seq. de Reg. iuris.* Papa autem hic voluit non comprehendi beneficia ad S. Sedem devoluta, in alijs ergo secus erit: quod intellige nisi Papa prævenit immediatè superiorem: quia Papa potest concurrere cum Episcopo, Archiepiscopo, aut Capitulo ad quod facta est devolutio, *Abb. in cap. quia diversitate, de concess. Prab. Garcias de benef. part. 10 c. 4. n. 30.*

o NEQUE SUPER ILLIS INTER ALIQUOS LIS PENDEAT INDECISA)
Sic nota, Preces Imperiales non capere litigiosa beneficia, nec etiam Precistam teneri illa acceptare, *Philip. Probus, tract. iur. Regal. quest. 27 n. 10.* si tamen sciens illud esse litigiosum, requirat, ut acceptet: tunc prosequi tenebitur, ut notat idem Probus, *tract. de Pensio, part. 2. q. 4.* atque hoc est generale in Expectativis, ut illæ non capiant beneficia litigiosa, ut tenet Bonifacius de Vitalinis Rotæ auditor. *in Clem. 1. col. 2. ut lite pen. Rot. a decis. 28. de concess. Prab. in Antiq. quod fallit si quis impetraret gratiam à Papa in forma juris, puta si constiterit Titium fuisse homicidam: Nam si lite pendente Titius moritur, poterit Precista tale beneficium acceptare, Gomes. ad Reg. de Trien. quest. 40 & sic adverte quod hic dicitur Preces non capere beneficia litigiosa, verum esse quando post litem inceptam illæ concessæ sunt, secus si ante, Gomes. ad d. Reg. quest. 41.*

Sed quid si lis sit notoriè frivola? Certè, par est Precibus esse locum, cum lis injusta, vel calumniosa non inducat vitium litigiosum, *L. 1. ff. de litigios.* Gomes. ad Reg. de Annal. quest. 45. Mandos. ad Reg. de surrogan. Collig. quest. 11. n. 6. ut & si lis fuerit super possessione tantum: cum vitium litigiosum in beneficijs nõ inducatur, si lis tantum sit super possessione illorum, *VVames. conf. 251. nu. 9. de Prab. Mandos. ad d. Reg. quest. 13. nu. 4.* ubi multos allegat; denique si mota sit

lis con-

Preces nõ
afficiunt
beneficia
litigiosa.

lis contra Triennalem quia non dicitur beneficium litigiosum, *Rebuff. ad Reg. de Triennali, gloss. 5. & in addit. ad d. Reg. vers. sextus casus.*

P CVM OMNIBUS JURIBUS ET PERTINENTIIS) Quorum appellatione veniunt, quæ à lege, consuetudine, vel statuto deputata sunt, *Rebuff. in forma Mand. Apost. in gloss. verbi Pertinentijs.*

Q PERSONIS IPSIS ETIAM DUO VEL TRIA) Atque ita Precistæ majori favore dignantur, quàm nominati ab Universitatibus: quia isti debent exprimere beneficia, quæ obtinent, etiam si unum minimum haberent, & hoc, ut Universitates instruantur, an Impetrantes Nominationes habeant duas præbendas, aut dignitatem cum præbenda, aut beneficia alia usque ad certam summam: Nam his casibus non debent universitates Nominationes concedere, nec Collatores eisdem providere: ut latè ostendit *Rebuff. in rr. nominat. questio 9.* Precistæ autem non tenentur hoc exprimere; quia etiam si habeant duo, vel tria, vel plura, quorumcumque qualitatis & valoris, possunt nominari, & vigore Precum hujusmodi Nominationis in quocumque mense vacans beneficium acceptare, ut antè ostendimus: etiam non obstante alia gratia expectativa, vel mandato de providendo, ut postea subiicitur.

R CUIUSCUMQUE ANNUI VALORIS) Limita hoc in civitate, & diocesi Leodien. in beneficiis, quæ excedunt duas argenti Marchas. Beneficiorum enim quorum fructus non excedunt dictas duas argenti Marchas, libera relinquitur collatio Ordinarijs, nec illa sub quibusvis gratijs contineri ex constitutione Eugenia de data anni 1432. quæ confirmata est per Sixtum anno 1479. & Pium II. anno 1458. atque etiam postea per Maximilianum I. & Carolum V. Inpp. manifestum est. Porro argenti Marcha valet ducatos sex de Camera, teste *Gomesio ad Reg. de Valore, Wamel. conf. 237. n. 20. de Preb.* Ducatus autem de Camera valet unum scutum auri in auro cum uno Julio. Julius porro æstimatur denario antiquo Romano seu Regali Hispanico, ut ostendi in tractatu de re nummaria ante aliquot menses in lucem edito.

S CONFERRERE, ET ASSIGNARE) Quid si Collatores nolint? Procedent executores contra eos per censuras, ut hic subiicitur, aut Precistæ recurrat ad superiorem immediatum, aut Papam, qui semper potest adiri jure concursus, qua de re vide, quæ latè scribit *Pet. Rebuff. ad concord. Francie, s. si quis verò, verbo disposuerit, & seqq.* Quid si Collator latitet aut aliàs obset quò minus fiat ipsi inhibitio, aut insinuatio? perindè erit ac si facta fuisset; sicut pro citato habetur, qui se occultat, vel impedit ne possit citari, *c. quoniam frequenter, s. porro, ut lite contest. cap. 1. de foro compet. Guimer. ad Pragmat. sanctio. rit. de collatio.*

*As decal
7. n. 6. Ca.*

Quæritur ulterius ad Decanus, & Capitulum possit impedire Precistam, denegando illi possessionem, si constet de injustitia, & defectu tituli? Et vide-

ter